

Enimvero quam commune, quam ex aequo, quod felices nos felicem illum prædicamus? alternisque votis, *haec faciat, haec audiat*, quasi non dicturi, nisi fecerit, comprecamur? Ad quas ille voces lacrimis etiam ac multo pudore suffunditur. Agnoscit enim, sentitque, sibi, non principi, dici.

III. Igitur quod temperamentum omnes in illo subito pietatis calore servavimus, hoc singuli quoque meditati teneamus; sciamusque, nullum esse neque sincerius, neque acceptius genus gratiarum, quam quod illas acclamationes aemuletur, quæ fingendi non habent tempus. Quantum ad me pertinet, laborabo, ut orationem meam ad modestiam principis moderationemque submittam: nec minus considerabo, quid aures ejus pati possent, quam quid virtutibus debeatur. Magna et inusitata principis gloria, cui gratias acturus, non tam vereor, ne me in laudibus suis parcum, quam ne nimium putet. Haec me cura, haec difficultas sola circumstat; nam merenti gratias agere facile est, patres conscripti. Non enim periculum est, ne, quum loquar de humanitate, exprobari sibi superbiam credat: quum de frugalitate, luxuriam; quum de clementia, crudelitatem: quum de liberalitate, avaritiam: quum de benignitate, livorem: quum de continentia, libidinem: quum de labore, inertiam: quum de fortitudine, timorem. Ac ne illud quidem vereor, ne gratus ingratusve videar, prout satis aut parum dixerò. Animadverto enim, etiam deos ipsos, non tam accuratis adorantium precibus, quam innocentia et sanctitate laetari; gratioremque existimari, qui delubris eorum puram castamque mentem, quam qui meditatum carmen intulerit.

IV. Sed parendum est senatus consulto, quod ex utilitate publica placuit, ut consulis voce, sub titulo gratiarum agendarum, boni principes, quae facerent, recognoscerent; mali, quae facere deberent. Id nunc eo magis solenne ac necessarium est, quod parens noster privatas gratiarum actiones cohibet et comprimit; intercessurus etiam publicis, si